

qui inculpata vita. Tales semper accedant: qui verò tales non sunt, ne semel quidem. Judicium enim sibi sumunt & condemnationem. Quemadmodum enim esca natura ad nutriendum apta, si in eum, qui cibum fastidit, inciderit, omnia perdit, atque corrumpit, fitque morbi occasio: Sic etiam tremenda mysteria. Mensa frueris spirituali, mensa regia, & rursum permisces cœno. Corpus unguento oblinis, & iterum fœtore imples. Si anno expleto communione utaris, putas satis tibi esse ad purgationem peccatorum cuiusvis temporis. Et iterum septimana præterita ad priora redis. Dic, quæso, si ex diuturno morbo ad quadragesimum diem convalescisti, & ad ea, quæ morbum procreant, reverteris, nonne priorem etiam laborem perdidisti? Quod si naturalia mutantur, quanto magis spiritualia, vel ut planè dicam, voluntaria? Et si corpus olet, ne communes quidem cibos capit. Cum vero tantus fœtor in anima est, mysteria participare audes? Dic mihi, qualem etiam veniam consequeris? Inquit enim divinus Apostolus: Qui manducat, & bibit indignè, reus tenebitur corporis & sanguinis Domini, hoc est, eandem dabit poenam, quam persolverant hi, qui crucifixerunt CHRISTUM. Ut enim illi jugatores rei sunt sanguinis: Sic etiam hi, qui indignè participant mysteria. Sicut enim sive quis purpuram regiam disrumpat, sive luto contaminet, æquè contumelia afficit Regem, qui induit illam: Ita sanè hic etiam, & qui peremerunt corpus dominicum, & qui mente impura sumunt, æquè ludibrio habent indumentum regium. Disruperunt itaque illud Judæi cruce, contaminat verò impurus, qui id accipit, animo. Proinde quamvis diversa sunt delicta, par est tamen contumelia. Hoc multos pupigit, hoc multos turbavit, discruciat conscientiam Epiphona.

*Comparatio  
cibi corporalis &  
mystici.*

*Terret mis  
nis judicii.*